5.5.134

# HOMERI

## BATRACHOMYOMACHIA

*SEU*

# RANARUM

*CUM*

## MURIBUS PUGNA

*Ex Graeco in Latinum translata*

*ET*

Eximiae Nobilitatis, ac spei Puero

## ANTONIO FOELICI

MARCHIONI CHISIO

*DICATA.*

LUCAE (MDCCXLV.)

TYPIS Philippi Mariae Benedini.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

S. S. 134

NOBILISSIMO PUERO

# ANTONIO FOELICI MARCHIONI CHISIO

PETRUS ROSSI S. P.

Umma, quibus ab amplissimo Sacrorum Antistite affectus sum, beneficia faciunt, ut universam Ejus Cognationem, ac praeclarissimam Domum eximio prosequar studio, atque omni officiorum ratione colere impensè adnitar. Id in Parentem

Tuum ſemper in viribus praeſtiti, cum propter perpetuam hanc meam voluntatem, cum propter peculiaria Ipſius merita, atque virtutes, quibus non me ſolùm, ſed omnes bonos in ſui amorem trahit, atque admirationem. Eum morem in Te quoque, Generoſiſſime Puer, retinere jamdiu conſtitueram, & aliqua ſignificatione teſtari vehementer optabam. Quare quae primùm ſeſe mihi obtulit occaſio, quaecunque ea fuerit, ſtatim cupidiſſimè arripui, nec diutiùs pati potui, meam in Te obſervantiam ignotam, obſcuramque latere. Cùm enim in manus forte fortuna incidiſſet Homeri Batrachomyomachia a me jamdudum ex Graeco expreſſa, atque in Latinum carmen translata, quam, cùm Rhetoricam profiterer, meis auditoribus ad ſcolaſticam exercitationem propoſueram, cùmque noſ-

noſſem, eam multis erroribus deformatam, atque ab excipientibus diſcipulis per incuriam, ut ferme ſolet, mendoſiſſimè ſcriptam circumferri, ac multorum manibus teri, ſtatui huic incommodo occurrere, eamque emendatiorem in vulgus emittere. In hac cogitatione cùm eſſem, venit in mentem, nunc mihi tempus dari adeundi tui, & quod jampridem animo agitaveram, tandem aliquando perficiendi. Deterrebat ludicrae rei levitas, ac tenuitas; pudebatque me non nihil Te cum hiſce nugis primò compellare; Incitabat Graeci Authoris ingens nomen, atque exiſtimatio, cum vetus ſit, Deorum quoque analecta in pretio habenda. Demum ita ſtatui, opus quidem hoc eſſe, ſi argumentum ſpectes, leviu culum, ſi aetatem tuam, non alienum. Delectantur enim pueri hujumodi fabel-

bellis, & animi adhuc imbecilles, nec ad cogitandum, aut cognoſcendum per ſe ſatis idonei his adjumentis ad veritatem connituntur, quae ſub talibus involucris deliteſcens, & jucundior exhibetur, & oculis ipſis expreſſiùs ſubjicitur. Quamobrem Platonis praeſcriptum eſt in Republica, ut a nutricibus puerorum animi fabulis, & cantilenis informentur, & a Synaſio Cyrenenſi Epiſcopo, eodemque magno Chriſtianae ſeveritatis profeſſore ſcriptum eſt in Dione: Fabularum ſtudioſam in pueris indolem magnam eſſe ſapientiae ſignificationem. Nec verò ad puerile ingenium aptae ſunt grandiores fabulae, quibus reconditiora quaedam Philoſophiae arcana, & graviora vitae praecepta continentur. Non ſuſtinet iſta aetas Virgilianae AEneidos, aut Homericae Iliados, & Odyſſaeae majeſtatem, cujus nec auguſtam

pul-

pulchritudinem contemplari, nec latentem doctrinam assequi adhuc licet. His est veluti crepundiis detinenda, & voluptate quadam obvia, vulgariquę oblectanda, cujus illecebris veluti delinita ad majora provocetur, & quasi titillatione quadam adhibita, sciendi desiderio, legendi jucunditate excitetur. Quanta porrò voluptas quantaque cum suavitate ad animum affluet tuum, cùm in hujus poematis lectione videbis Mures cum Ranis acerrima pugna concurrentes, & quae tuae aetatis est indoles, illa exiguorum Heroum adumbrata virtute, illis mutarum bestiolarum festivis collocutionibus, illa armorum apta, concinnaque forma, illo ingenioso jocosi belli apparatu, illa diversarum caedium ad risum confictą ratione, illo in re tam minuta gravissimo Deorum concilio, variantibusque,

ut in ancipiti negocio, ſententiis, demum novo, planèque admirabili exitu certaminis, pulcherrimo veluti ſpectaculo, non animum ſolum, ſed oculos ipſos, aureſque pa ces! Ita fiet, ut in latinitate edi cenda, quae ſpinoſa, ac tetrica, ſicut omnium linguarum rudimenta eſſe ſolent, moleſtiae non parum habet, ſuavitatis nihil, injucundi laboris taedium rerum voluptate magna ex parte emolliatur, animu que ad latinè discendum promptior efficiatur, ac fortaſſe Graecorum fontium, unde tales manant deliciae, ſitis in te aliqua accendatur. Id ſi contigerit, & ego magnum operae pretium feciſſe me exiſtimavero, nec te unquam ludicri operis poenitebit. Sed nec deerunt majores utilitates, quas ii, quibus in diſciplinam tradendus es, hocce ſcriptum legenti pro ſuo munere aperient, ad

vi-

vitae uſum, moreſque formandos accomodatae, eadem ferme ratione, qua Phaedrus uſus eſt in ſuis Apologis, quorum aliquam hìc invenies ſimilitudinem. Denique in hac quoque lectione, ſpero, uſuveniet: *In tenui labor, at tenuis non gloria*. Excipe igitur, egregie Puer, munus, quod damus, & jam nunc aſſueſce litterarum patrocinium ſuſcipere, quod haereditario quodam, ac gentilitio jure ad Te ſpectat. Habebis in hoc multa Majorum exempla, quae imiteris, Patruorum in primis, quorum in liberales diſciplinas ſtudioſum animum noſtrates fere omnes vel cum luctu recordantur, vel cum voluptate experiuntur, nec non illius verè Maximi, & apud nos nunquam interituri Pontificis Alexandri VII, qui ceteras inter, quibus univerſum orbem illuſtravit, praeclariſſimas curas, eam

quoque non ultimam habuit, eruditas Muſas colere, ac Pontificia authoritate fovere. Magnas de te ſpes Patria conceptas habet, fore ut acceptam a Majoribus gloriam omni benefactorum genere ne dum tuearis, verùm etiam amplifices: Curandum tibi eſt, ut hoc quoque abs Te praeſidium optimis ſtudiis expectet, ſi Te & iis delectari, & ad ea alenda propenſum eſſe intellexerit.

HO-

# HOMERI

## BATRACHOMYOMACHIA.

*Principio ſacri deſcendere vertice Pindi*
*Aonias oro Divas, & noſtra ſubire*
*Pectora, ut auſpiciis procedant cœpta ſecundis*
*Carmina, quae gracili pangenda volumine ſumpſi,*
*Bellum horrendum ingens, opus implacabile Martis*
*Attonitas hominum demittere certus in aures,*
*Et quæ cum Ranis inierunt prælia Mures,*
*Grandia terrigenûm referentes facta Gigantum.*
*Fama fuit, tantæ prima hæc exordia pugnæ,*
*Has cauſas odiorum, hæc ſemina dira fuiſſe.*
*Mus quondam ſitiens, Feliſque elapſus ab ungue,*
*Mollia vicinæ demiſerat ora paludi,*
*Dulci oblectatus lymphâ. videt eminus illum*
(1) *Lymnocharis fama inſignis, tum talia fatur:*
*Quis tu hoſpes? Quo patre ſatus? Ripam unde ſubiſti?*



(1) Palude gaudens.

*Omnia vera refer, ne te mendacia noſcam*
*Subdola texentem; ſi forte videbere noſtrâ*
*Dignus amicitiâ, mea te ultro ad limina ducam,*
*Donaque plura dabo, nec contemnenda, fidelis*
*Hoſpitii pignus. Noſti nos? Accipe, qui ſim:*
*Rex ego ſum, dicor* (2) *Phyſignatus, inque palude*
*Hac color, & Ranas ſceptri ditione guberno,*
*Et me progenuit* (3) *Peleus pater*, (4) *Hydromeduſæ*
*Eridani ad ripas ſocio commiſtus amore.*
*Sed quoque te, niſi forte oculos tua fallit imago,*
*Pulchrumque, & miro membrorum robore cunctis*
*Præſtantem video Regem, belloque ferocem:*
*Verùm age continuò, quo ſis, dic, ſanguine cretus.*
*Huic autem contra* (5) *Pſicharpax fatur: Amice,*
*Cur genus exquiris noſtrum? Cui clara propago*
*Ignota eſt? Cuncti novere homineſque, Deique,*
*Quæque ſecant auras pennâ fugiente volucres:*
*Dicor Pſicharpax*, (6) *Troxartæ tertia proles*
*Magnanimi genitoris; Et eſt mihi regia mater*
(7) *Lychomyle*, (8) *Pternotrocto de rege creata,*
*Quæ latebris me enixa ſuis, ficoſque, nuceſque*
*Præbuit ad paſtum, natos & ubique ſapores.*
*At tibi quid mecum eſt, aut quæ mihi fœdera tecum*
*Ingenio tam diſſimili? Tibi vita ſub undis,*
*Tu limo informi, glaucâque abſconderis ulvâ.*
*Aſt homines inter medios ego qualia felix*

*Te-*

(2) Buccas inflans.
(3) Lutoſus.
(4) Aquis imperans.
(5) Micas rapiens.
(6) Panem vorans.
(7) Lingens molas.
(8) Pernam rodens.

*Tecta colo, quali ſolvo jejunia menſâ!*
*Non mihi panis abeſt de terque quaterque ſubactâ*
*Confectus ſimilâ, ciſtâ raptuſque rotundâ,*
*Non mihi pingueſcens ſeſamo candente placenta;*
*Non pernæ fruſtum, tunicis veſtita nec albis*
*Hepata, nec dulci preſſus de lacte recente*
*Caſeus, atque gulæ gratiſſima liba beatæ,*
*Quaeque parat menſis hominum coquus arte magiſtrâ*
*Callidus omnigenis ornare ſaporibus ollas.*
*Nec manus eſt bello minùs utilis: Eſt mihi virtus,*
*Eſt animus pugnae nuſquam vitare pericla,*
*Sed medias inter turmas, acieſque furentes*
*Obvius adverſo procedo comminus hoſti;*
*Nec quemquam, magnâ quamvis ſe mole ferentem,*
*Unquam pertimui, ſed lecto irrepere furtim,*
*Extremumque pedem, digitoſque arrodere morſu*
*Eſt mihi mos; non illa tamen fecere dolorem*
*Vulnera, nec dulcis toto de corpore fugit,*
*Me mordente, ſopor; ſed, quâ vaſtiſſima latè*
*Terra patet, duo ſunt, faciunt quæ ſola timorem,*
*Accipiter, Feleſque; Seges mihi magna malorum,*
*Primaque proveniunt hinc magni ſemina luctus;*
*Illaque præterea multo digniſſima fletu*
*Muſcipula, exitium nobis ubi triſte paratur.*
*Sed Felem in primis metuo, quâ fortius, atque*
*Callidius nihil eſt; Tutum namque ipſe foramen*
*Cùm ſubii fatum vitans, illa oſtia juxta*
*Subſidet, & quovis inſtat me perdere pacto.*
*Non mihi ſunt raphani, virides non pabula betæ,*
*Non crambe, aut apium, magnique cucurbita ventris;*
*Scilicet hæ vobis epulæ, qua ſtagna tenetis.*

*Riſit*

*Riſit ad hæc autem Phyſignatus, atque ita contrà*
*Rettulit: Ah nimiis, hoſpes, te laudibus effers*
*Ventre ſuper; ſunt & nobis terrâque, marique*
*Plurima cognoſci digna, & miranda videri.*
*Non etenim Ranis tribuit Saturnius uno*
*Vivere poſſe loco; ſed corpora ferre ſub undas,*
*Inque ſolum reſilire dedit. Si talia noſſe*
*Tu quoque vis, facile eſt: Cervici imponere noſtræ,*
*Meque apprende manu, ne forte improvidus error*
*Te trahat in præceps, ſed limina viſere tutus*
*Noſtra queas. Dixit, ſubjectaque terga volenti*
*Obtulit, ille manu teneris cervicibus hærens*
*Impiger alta levi deſcendit in æquora ſaltu.*
*Primò equidem cernens vicinam e gurgite ripam*
*Lætus erat, facili gaudebat & uſque natatu:*
*Aſt ubi purpureis cæpit jam tingier undis,*
*Multa gemens, vanis damnabat cæpta querelis,*
*Vellebatque comas, geminoſque tenaciùs hærens*
*Stringebat ſub ventre pedes, trepidoque micabant*
*Corda metu inſuetum per iter, verſoque relictam,*
*Jamque recedentem ſpectabat lumine terram.*
*Tum magis atque magis timor, increſcente periclo,*
*Creſcit adhuc, gelidusque coit formidine ſanguis.*
*Ac primò gracilem lentans in gurgite caudam*
*Ceu remo propellit aquas, & cærula verrit,*
*Voce ſimul Divos nil proficiente fatigat,*
*Dent facilem curſum, & tutâ conſidere terrâ.*
*Sed jam purpureis paulatim mergitur undis*
*Inclamans altum, mœſtâque ita voce profatur:*
*At non ſic humeris ſubvexit amabile pondus*
*Per freta cùm Taurus traduxit Agenore natam*

*Viſe-*

*Viſere centenas Cretæi littoris urbes,*
*Ut me Rana domum abduxit maculoſa prementem*
*Terga, vehens cano pallentia corpora fluctu.*
*Ecce autem extemplo longos ſinuatus in orbes*
*Horrendum ambobus monſtrum, caput extulit hydrus*
*Arrectus tumidum ſummo de gurgite collum.*
*Territus aſpectu Phyſignatus ocyus alto*
*Stagna ſubit ſaltu, miſeri ſecurus amici,*
*Quem mediis certæ morti obijciebat in undis;*
*Limoſoque latet fundo, vitreaque paludis*
*Ima petens, lethi inſtantis diſcrimina vitat.*
*Ille autem tergo excuſſus, ſtagnoque ſupinus*
*Decidit in præceps, & brachia contrahit, & jam*
*Morte natans mediâ ſtridorem tollit acutum;*
*Et nunc ima ſubit, mox rurſus prodit in auras*
*Calcibus inſultans. miſero via nulla ſalutis*
*Panditur, & nullâ mors evitabilis arte*
*Certa venit. Multâ madefacti aſpergine villi*
*Pondere preſſa gravi deorſum membra gravabant;*
*Jamque necem potans morienti eſt ore locutus:*
*At non hiſce auſis memores fandi, atque nefandi*
*Effugies Superos, Phyſignate, corpore cujus*
*Naufragus excutior, ceu ſaxo ejectus ab alto.*
*Nec me, ſi tellure ſuper contendere velles,*
*Peſſime, eras melior, lubricâ certare palæſtrâ,*
*Sive agili luctâ, ſeu curſu præpete malles;*
*Sed tu fraude malâ captum detrudis in undas*
*Perfidus. At non hæc oculis Deus aſpicit æquis*
*Ille Deus ſcelerum vindex; Jamque agmine Mures*
*Infeſto hìc aderunt, pœnamque ob noſtra repoſcent*
*Exitia, & culpam ſceleratâ cæde piabunt.*

*Dixe-*

*Dixerat; Aſt illi ſolvuntur frigore membra,*
*Et luctantem animam mediis expirat in undis.*
*Aſpicit hunc molli reſidens in gramine ripæ*
*(9) Lichopinax, gemitumque imo de pectore ducit,*
*Muribus & ſubitò accurrens facta impia narrat.*
*Ut verò infelix pervenit rumor ad aures,*
*Exarſere omnes animo, ſubit ira peremptum*
*Ulciſci ſocium. Tenebris Aurora fugatis,*
*Vix roſeâ primas luſtrabat lampade terras;*
*Præcones dare ſigna jubent, populumque ciere*
*Troxartæ ſub tecta patris, chariſſima cujus*
*Pſicharpax ſoboles, tumuli ſpoliatus honore*
*Innabat pelago, gelidum, & ſine ſanguine corpus,*
*Et ripas nondum attigerat, medioque profundo*
*Huc illuc dubiis ibat jactatus ab undis.*
*Ut coiere omnes primi ſub lumina ſolis,*
*Troxartes primus ſecum Pſicharpage adempto*
*Multa fremens, ſolio aſſurgit, mœſtuſque profatur:*
*Quamvis, o Socii, ſolus mala plurima ſævis*
*Pertulerim a Ranis, cunctis crudele paratur*
*Exitium, cuncti fato involvemur eodem.*
*Me miſerum! qui tres, dulciſſima pignora, natos*
*Perdiderim. Primum ſtygias demiſit ad umbras*
*Impia protractum latebris, fidoque receſſu*
*Feles, alterius juvenili ſanguine terram*
*Immanes ſparſere viri fallacibus uſi*
*Artibus, & texto moliti funus acerno;*
*Muſcipulam appellant noſtræ illud flebile gentis*
*Exitium. Super una foret cùm tertia proles*

*Cha-*

(9) Lambens tabulas.

*Chara mihi proles, venerandæ chara parenti,*
*Perfidus hanc rapuit Phyſignatus, altaque ducens*
*In freta deceptam letho demiſit acerbo.*
*Verùm agite, arma citi, capite arma, infeſtaque ſigna*
*Ferte ſimul, variis inſtructi corpora telis.*
*Hæc fatus cunctos armari in prælia ſuaſit:*
*Illis bellipotens curaverat arma Gradivus.*
*Primùm ocreas circum villoſis cruribus aptant*
*Contextas ſiliquis fractarum dente fabarum,*
*Quas ipſi tacitâ vigiles de nocte vorarant;*
*Thoracas calamis textos, & tergore multo,*
*Æluri coſtis quod diripuere perempti,*
*Pectoribus ſuper imponunt, clypeumque ſiniſtris*
*Inſertant, medio factus de ventre lucernæ*
*Umbo vomit flammas, validis haſtilia dextris*
*Prælongæ criſpantur acus: ſolido ære micabant*
*Omnia, Martis opus; Galeam, criſtaſque comantes*
*Imponunt capiti demptum juglande putamen.*
*His Mures inſtructi armis æqualibus ibant*
*Ordinibus. Poſtquam hæc celeres devecta per auras*
*Fama tulit Ranis, limoſis protinus omnes*
*Exiliunt ſtagnis, & in unâ ſede coactæ*
*Belli concilium indicunt, procerumque ſenatum;*
*Dumque rogant, quæ ſeditio, quæ ſemina belli,*
*Ecce manu ſceptri geſtans inſigne decorum*
(10) *Tyroglypho orator generoſo patre creatus*
(11) *Embaſichytrus adeſt, infauſti nuncia belli*
*Dira ferens, atque hoc ſermone ſilentia rumpit:*
*Vobis, o Ranæ, Mures mandata referre*



*Iſta*

(10) Caſeum ſcalpens.

(11) Ollas ingrediens.

*Iſta jubent, bello armari, pugnamque parare;*
*Cauſa eſt, exanimum quòd aquis Phſicharpaga ferri*
*Viderunt, veſter quem Rex Phyſignatus Orco*
*Demiſit; Commiſſo igitur concurrite bello,*
*Ut veſtrum quæque in totâ fortiſſima gente eſt.*
*Vix ea fatus erat, retro veſtigia torſit.*
*Quæ vox Ranarum attonitas ut perculit aures,*
*Solicitat mentes, & corda ferocia turbat;*
*Dumque ſui Regis crudelia facta queruntur,*
*Sic loquitur ſolio aßurgens Phyſignatus alto:*
*O ſocii, noſtrâ non eſt mus fraude peremptus,*
*Imo ego nec vidi pereuntem: Improvidus ille*
*Dum per aquas ludit, Ranarum & more, natatu*
*Gaudet, ad infernas deſcendit naufragus umbras.*
*At nunc me, noxæ immunem, ſcelerata propago*
*Arguit. Ergo age, conſiliis nunc omnibus uti*
*Tempus adeſt, penituſque doloſam excindere gentem*
*Hæc mihi viſa ſedet potior ſententia, ſumptis*
*Eſſe operæ pretium cunctas accingier armis,*
*Corporaque inſtructas in ſummæ margine ripæ,*
*Quà præceps locus eſt, poſitis conſidere caſtris.*
*Mox, ubi tentarint contra nos prælia, quiſquis*
*Obvius occurret, galeam arripiemus, & ipſum*
*Cum gravibus dejectum armis trudemus in undas;*
*Sic illis nandi ignaris, & gurgite merſis,*
*Nobile deloto ſtatuemus Mure trophæum.*
*Hæc fatus cunctas paribus circumdedit armis;*
*Illæ autem foliis malvarum exilia circum*
*Crura tegunt, viridi, munimen pectoris, ægis*
*Conferitur betâ, patulâ tum braſſica fronde*
*Nectitur in clypeos, ſtat acuto lancea ferro,*

*Lan-*

*Lancea juncus erat, galeis cava tempora condunt,*
*Pro galeis frontem cochlearum teſta premebat.*
*Armata in ripis poſuerunt caſtra ſupinis.*
*Jam quatiunt haſtas, ſtudio Mavortia belli*
*Pectora jam fervent, pulchraque cupidine palmæ.*
*Interea Superos Divûm Pater, atque hominum Rex*
*Sydeream vocat in ſedem, bellumque paratum,*
*Caſtraque pugnantum monſtrat, populoſque feroces,*
*Et bellatores numero, ac virtute timendos,*
*Longaque vibrantes pugnaci haſtilia dextrâ;*
*Quales Centauri immanes facto agmine quondam*
*Incedunt, Javique ruunt in bella Gigantes.*
*Tum placidum arridens cœtu quæſivit ab omni,*
*Quis Superûm auxilio Ranis, quis Muribus iret;*
*Pallada mox verbis compellat talibus ultro:*
*'Auxilio, ſcio, nata, tuis tu Muribus ibis;*
*Scilicet hi ſaliunt tua per delubra frequentes*
*Sacrorum carnes, fumantiaque exta ſecuti.*
*Juppiter hæc: contra fatur Tritonia Pallas:*
*Ne me, Summe Pater, ne me fore Muribus unquam*
*Auxilio credas; nimis heu! mihi multa dedere*
*Damna, ſacras avido lædentes ore corollas,*
*Suſpenſoſque meis lychnos laquearibus omni*
*Fraudantes oleo; ſed & illud noſtra remordet*
*Corda magis, penituſque altâ ſtat mente repoſtum,*
*Quòd textum gracili peplum ſubtemine, noſtræ*
*Quod fecere manus, & cujus ſtamina ſacro*
*Pollice deduxi, ſcelerato dente vorarunt,*
*Multaque pertuſâ fecere foramina pallâ;*
*Unde ſuperveniens reparanda ad ſyrmata ſartor*
*De me lucra facit. Juſtos hinc ægra furores*

*Mens agitat, magnoque irarum fluctuat æstu;*
*Quoque magis doleam texendæ licia telæ,*
*Mutua quæ sumpsi, non est quî reddere possim.*
*Sed neque pro Ranis malim pugnare, nec illis*
*Rectior est animus; Nam me post dura reversam*
*Prælia, & insano jam fractam membra labore,*
*Corporaque optantem dulci mulcere quiete*
*Protinus infestâ turbantes omnia voce*
*Lumina vel modico vetuerunt claudere somno.*
*Ipsa autem magno capitis confecta dolore*
*Insomnem duxi noctem, dum nuncia lucis*
*Ales personuit, stratoque exurgere suasit.*
*Verùm agite, hos, Superi, mittamus; nullus amico*
*Sive hanc auxilio partem, seu juverit illam,*
*Nostrûm aliquis telo ne fors grave vulnus acuto*
*Accipiat; Pugnant acres, & comminus instant,*
*Quamvis ipse Deus contra ferat arma: Sed altâ*
*Arce poli e tali capiamus gaudia pugnâ.*
*Finierat Pallas; dictis tunc protinus omnes*
*Assensere Dei, & sedem coguntur in unam.*
*Interea belli præcones signa ferentes*
*Approperant; magno Culices clangore tubarum*
*Dant tristem belli sonitum: Saturnius alto*
*Intonuit Cœlo belli feralia signa.*
(12) *Hypsiboas primus* (13) *Lichenora vulnerat hastâ*
*Primâ stantem acie, medium cui cuspide adactâ*
*Per ventrem, jecur effringit; cadit ille supinus,*
*Atque atro fœdat molles in pulvere crines.*

*At*

[12] Altum clamans.
[13] Lingens.
[14] Latebras subiens.

*At mox* (14) *Troglodytes oblatum vulnere certo*
(15) *Peleiona ferit, liquitque haſtile ſub imo*
*Pectore defixum: ſubitò mors atra cadentem*
*Occupat, & fugiens in ventos vita recedit;*
(16) *Seutlæus miſero cor trajicit Embaſichytro,*
*Et nigras Erebi pallentis mittit ad umbras.*
(17) *Artophagus* (18) *Polyphonum imâ ferit enſe ſub alvo,*
*Concidit hic pronus, fuſo cum ſanguine miſta*
*Vita fugit, tenueſque abit exhalata ſub auras.*
(19) *Lymnocharis triſti Polyphonum morte cadentem*
*Ut vidit, lapidem, plauſtri grave pondus onuſti,*
*Corripit, & valido adnixus procul impete torquet,*
*Troglodytemque, humeris quâ cervix juncta cohæret,*
*Occupat, huic oculos ſubitæ texere tenebræ.*
*Aſt illi validis intorquet viribus haſtam*
*Lichenor, certoque jecur tranſverberat ictu.*
*Hæc ubi* (20) *Crambophagus vidit, petit alta volucri*
*Stagna fugâ, liquidis nec quamvis merſus in undis*
*Pugnando abſiſtit, miſſo ſed protinus illum*
*Vulnere percellit: moribundo corpore duram*
*Plangit humum expirans, animamque effundit anhelam.*
*Purpureo vicina palus infecta cruore*
*Erubuit, ſicco jacet ille in littore juxta*
*Viſcera humi fundens, & inani frigidus alvo.*
(21) *Lymneſii cæſus cadit enſe Tyroglyphus altis*
*Gurgitis in ripis: At poſtquàm incurrere ſtricto*

*Pter-*

---

(15) In luto habitans.
[16] Betis gaudens.
(17) Panem vorans.
[18] Multam habens vocem.
(19) Palude gaudens.
[20] Braſſicas vorans.
(21) In palude habitans.

(22) *Pternoglyphum ferro vidit* (23) *Calaminthius, ipſe*
*Diriguit viſu exanguis, parmâque relictâ*
*Vicinas fugiens ſaltu deſcendit in undas.*
*At ferus* (24) *Hydrocharis Regem demiſit Averno*
(25) *Pternophagum, jacto diffindens tempora ſaxo;*
*Illi autem geminâ ſtillavit nare cerebrum,*
*Tinctaque purpureo rubuit de ſanguine tellus.*
*Lichopinax haſtâ irrumpens nil tale merentem*
*Triſtia detruſit ſub Tartara* (26) *Borborociten,*
*Aſt huic æternâ clauduntur lumina nocte.*
(27) *Praſophagus procul aſpectans pede* [28] *Cniſſodioctem*
*Arripit, & magno conſtringens robore nervos*
*In ſtagnum trahit, hic mediis expirat in undis.*
*At non Pſicharpax ſocios permittit inultos,*
*Vindice, ſed jaculo molli* (29) *Peluſion alvo*
*Transfigit jecur in medium: Cadit ille premptus*
*Ante pedes, maneſque ſubit levis umbra ſilentes.*
[30] *Pelobates contra ſpectans projecit in ora*
*Detractum tellure lutum, frontemque perunxit*
*Adverſam, athereaque uſum prope lucis ademit.*
*Ille furore amens, campo qui forte jacebat,*
*Corripit ingentem lapidem, grandique coruſcat*
*Adnixus dextrâ, & molli ſub poplite tundit*
*Pelobaten; olli tum dextera rupta fatiſcit*

*Tibia*

---

[22] Pernas ſcalpens.
(23) Calaminthem tresbam comedens, vel inter calamos degens.
[24] Aquis gaudens.
(25) Pernas vorans.
[26] In luto cubans.
(27) Porrum vorans.
[28] Nidorem ſequens.
(29) In luto habitans.
[30] In lutum vadens.

*Tibia, limoſâque cadit reſupinus arenâ.*
*Non tulit hoc, rurſuſque ultor conſurgit in ipſum*
[31] *Craugaſides, mediumque reſolvit cuſpide ventrem,*
*Defixumque altè condit ſub vulnere juncum.*
*Ut verò ingentis telum vix inde revulſum*
*Viribus eſt dextræ, de vulnere lapſa patente*
*Viſcera fundit humi; toto quem corpore fuſum*
(32) *Sitophagus ſtagni cùm primùm in margine vidit,*
*Accepto quamvis de vulnere tardior iret,*
*Vexaretque dolor miſerum, ſe proripit armis,*
*Et fugit in foveam, vicinaque funera vitat.*
*Troxartes ſummo Phyſignaton in pede ſtringit,*
*Ille fugam celerat non ſecius, inque paludem*
*Deſilit, & pedibus celeres dolor adijcit alas.*
*Quem ſimul aſpexit violato crure cadentem*
*Troxartes, nec adhuc vitali lumine caßum,*
*Accurrit, rurſumque furit demittere letho.*
*At* (33) *Praſſæus aquis ſocium procumbre cernens*
*Semianimem, frendens irâ ſeſe injicit hoſtes*
*In denſos, primaſque acies; ſeſe obvius illi*
*Obtulerit quiſquis, juncum furiatus acutum*
*Conjicit, at clypeum valido non diffidit ictu*
*Haſta, ſed objecto veniens umbone repulſa eſt.*
*Forte fuit Mures inter florentibus annis*
*Eximius Juvenis generoſo ſanguine cretus,*
*Filius innocui chariſſimus* (34) *Artepibuli,*
*Et referens ipſum bellandi laude Gradivum;*
*Muribus e cunctis quo non præſtantior alter*

*Irru-*

---

(31) Vociferans.
(32) Frumentum vorans.
(33) In porris habitans.
(34) Panis inſidiator.

*Irruere in pugnam*, (35) *Meridarpax nomine dictus.*
*Hic fidens animi, & notâ virtute ſuperbus*
*Propter aquæ ſtagnum turbâ ſemotus ab omni*
*Conſtitit, & magnâ proclamans voce minatur*
*Perdere Ranarum totum genus baſtatarum,*
*Feciſſetque adeo, tantæ huic in corpore vires*
*Florebant, ſi non Genitor Divûmque, hominumque*
*Ipſe laborantes, & jam ſuprema timentes*
*Fata foret Ranas Cœlo miſeratus ab alto.*
*Ille autem crebro quaſſans regalia nutu*
*Tempora, ſermonem dictis eſt talibus orſus:*
*O Superi, magnum inſtat opus, verſantur in ipſis*
*Magna incepta oculis: Fortem Meridarpaga cerno,*
*Et ſtupeo admirans circum horrida ſtagna furentem,*
*Ranarumque genus delere a ſtirpe minantem.*
*Jam mora nulla, decet ſeu fortem Pallada bello,*
*Sive ipſum ſuperâ deſcendere ſede Gradivum,*
*Qui validum cogant juvenem diſcedere pugnâ.*
*Tantum ore effatus Saturnius; Inde Gradivus*
*Pauca refert: Non, o Juppiter, ipſa Minervæ*
*Robora, non Martis ſupremam avertere Ranis*
*Perniciem poſſint. Cunctos ſimul ire neceſſe eſt*
*Auxilio Divos, vel te librare potenti*
*Telum ingens dextrâ, trifidas & ſpargere flammas,*
*Queis jam Titanas Cœlo capita alta ferentes*
*Funere merſiſti merito, magnumque dediſti*
*In vincla Enceladum, genus atque immane Gigantum*
*Dixerat hæc Mavors: dextrâ Saturnius ardens*
*Corripuit fulmen: Cœli de parte ſupremâ*

*Inton-*

---

(35) Partes, vel fercula rapiens.

*Intonuit primùm, & totum tremefecit Olympum;*
*Inde rubens fulmen, telum fatale Tonantis,*
*Intorſit, liquidas volat ardens flamma per auras*
*Regis miſſa manu; ſubito terrentur ab igne*
*Ranæque, Mureſque, at non exercitus armis*
*Abſiſtit, ſed adhuc Mures violentiùs inſtant*
*Ranarum inviſam jurati evertere gentem;*
*Ni ſuperâ rurſum Saturnius arce miſertus*
*Mitteret afflictis arma auxiliaria Ranis.*
*Ecce autem cunctis veniunt Animantia terris,*
*Quæque ferunt dorſis incudes, quæque recurvis*
*Incedunt chelis, & quæ volvuntur in orbes,*
*Quæque pedes obliqua movent, quæque ora biſulcis*
*Forficibus munita gerunt, queiſque aſpera teſtâ*
*Corpora dureſcunt, & quorum eſt oſſea membris*
*Natura, & quorum ſunt tergora lata, quibuſque*
*Diſtincti lucent humeri, & quæ crure moventur*
*Diſtorto, quibus & multis ſunt prædita nervis*
*Brachia, ſublato quæque altè pectore cernunt,*
*Quæque octo pedibus, gemino & quæ vertice pollent,*
*Quæque carent manibus, quos dicunt nomine Cancros.*
*Muribus admoto caudas hæc ore ſecabant,*
*Sive pedes, ſeu forte manus, haſtaſque reflexas*
*Torquebant. Fracti timuerunt denique Mures,*
*Nec numero jam certantes, nec viribus æquis,*
*Et ſeram cepere fugam. Jamque æquore pronus*
*Heſperio Titan currus mergebat anhelos,*
*Et finem tanto impoſuit lux unica bello.*

FINIS.

5.5.134

# CANZONE

FATTA

PER LA CORONAZIONE

Del Sig. Cavaliere

# BERNARDINO PERFETTI SANESE

Insigne Poeta estemporaneo

PASTORE ARCADE

*Col Nome*

## D' ALAURO EUROTEO

Laureato in Campidoglio l' Anno MDCCXXV.

*In occasione degli applausi, che ne fece in Siena l' Accademia Fisiocritica, Colonia dell' Accademia di Roma.*

POI TRADOTTA IN UN' ODA LATINA

*Dedicata all' Illustrissimo Signor*

## VINCENZO FORTINI

DAL DOTTOR PIETRO ROSSI.

# ILLUSTRISSIMO SIGNORE.

*I recherà certamente qualche maraviglia il vedere uſcire alla luce una coſa da me compoſta vent' anni ſono, che maggior ſenno per avventura avrei fatto a laſciarla giacer ſepolta fra le ſue tenebre. Ma trovandomi in congiuntura di mettere al pubblico altri miei Compo-*

